

EPISTOLA

*De origine Medi-
cina.*

*Veteres medici non
sunt capita et fon-
tes medicinae.*

*Quid in veteribus
probandum.*

cum timore et inuocatione Dei, vnde initium sapientiae est: et cum charitate proximi, vnde foelicitatis origo et incrementum procedit: et sapienter, pure, ac sancte, comparatis omnibus, legitime et inuitabiliter necessarijs, ad eam tractandam accedat. Nam si quis existimet cum plurima hodiernorum medicorum plebeia turba, Medicinae fontes aut Arabes esse, aut Indos, aut Graecos: atque adeo antiquitatem eius referat ad Auicennam, aut Machaonem, aut podalyrium, aut Hypocratem, aut Galenum, aut alios quosuis eiusdem professionis homines: ideoque cum apud se concludat, tum etiam passim apud alios praedicet, fundamenta, capita, artem denique totam Medicinae ab his petendam et summendam esse: is, non meo, sed Dei et naturae iudicio, vehementer errat. Horum enim, quos modo nominaui, omnium et singulorum, studium quidem in re medica laudandum censeo: et imitandam in inquirendo diligentiam suadeo: tum etiam magni eos faciendos iudico: utpote qui ea ad posteritatem transmiserint, quae ipsi magnis laboribus experti cognouerunt: Non tamen eos tanti facio, ut Capita, authores, aut Monarchas medicinae constituam. Fuerunt procul dubio magni viri: profuerunt sui temporis hominibus plurimis; experti sunt multa; explorauerunt non pauca

pauca